



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris
novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXLIV. De Solemnitatibus necessariis in contrahendo Matrimonio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

tum, femper remanet folutum; idè ifte difpenfatus poterit uxorem ducere quamcunque voluerit, nec tenetur primam accipere. *Leander de Matrim. decif. 5. qu. 10. Tambur. d. cap. 6. §. 2. num. 2.*

14. *Quar.* An matrimonium Ratum non confummatum diffolvatur per fumptionem ordinis Sacri? *Refp.* Negative, quamvis in eo in fit votum foletmne caftitatis. *Extravag. Antiqua de Voto. Tamburin. d. tract. 5. cap. 6. §. 2. num. 13.* ubi id procedere dicit, etiamfi uxoratus fumeret Sacerdotium, ac etiam Epifcopatum, quia folutio hæc folus profefionis religiofa propria eft, nifi intercedat Auctoritas, & difpenfatio Summi Pontificis ob aliquam urgentem caufam, ut dictum eft *dict. num. 12.*

15. *Quar.* Intra quantum tempus fit deliberandum ab illo, qui matrimonium ratum confummare non vult, prætextu futuræ Religionis? *Refp.* Regulariter intra bimeftre, quod tamen à Judice poterit vel prorogari, vel coarctari; & interim licite poteft negare debitum; etiamfi verè non haberet animum ingrediendi Religionem; nam forfan poteft acquirere intra bimeftre animum, quem tunc non habet. *Sanchez, Caftropal. & alii, quos citat, & fequitur Tamburin. d. cap. 6. §. 3.*

16. *Quar.* An diffolvi poffit matrimonium, fi intra bimeftre conjux cogitans de Religionem ingrediendi cognofcatur carnaliter per vim à fuo conjuge, & copula non obftante coactus velit Religionem ingredi? *Refp.* Matrimonium non diffolvi, fed coactum ad copulam poffe Religionem ingredi, fi intra bimeftre fuerit coactus; & fic qui vim intulit, in pœnam fuæ violentiæ carebit facultate ducendi aliam uxorem. *Sanchez lib. 2. difp. 22. num. 15. & Tambur. dict. §. 3. num. 5. 6. & 7.*

17. *Quar.* Si fponfi antequam contrahant matrimonium per verba de præfenti, fe carnaliter cognoverint, poffint intra bimeftre poft contractum Matrimonium per verba de præfenti, non renovata copula, matrimonium diffolvere, convolvendo ad Religionem? *Refp.* Poffe, quia indiffolubile non fit matrimonium per copulam habitam poft contractum matrimonium per verba de præfenti; fecus autem fi per verba de futuro, quia tunc non eft matrimonium. *Tamburin. d. §. 3. num. 8.*

18. *Quar.* An dari poffit casus, in quo matrimonium ratum, & confummatum diffolvi poffit? *Refp.* Negative, quia indiffolubile eft ufque ad mortem quoad vinculum, licet fecus fit quo ad divortium, & fimplicem cohabitationem. *Tamburin. dict. lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 6.* ubi notat, tunc matrimonium dici confummatum, quando femen virile receptum eft intra vas mulieris; quod quamvis regulariter requirat penetrationem valis, nihilominus fi receptio etiam fine penetratione fieret, matrice attrahente (quod fieri poffe docet *Zacchias in qq. Medico-leg. lib. 3. tit. 2. q. 8. num. 7. & 8.* & ego dixi de Pœnitentia *Decif. 27. num. 19.*) adhuc cenfetur matrimonium confummatum, & per confequens indiffolubile.

CAPUT CXLIV.

De Solemnitatibus neceffariis in contrahendo Matrimonio.

1. *Quar.* Quæ, & quot fint folemnitates neceffariæ in matrimonio contrahendo? *Refp.* Tres, nempe *Primò*, Præfentiam Parochi, & faltem duorum teftium, fub pœna nullitatis ex Concil. Trident. *feff. 24. de Ref. Matrimon. cap. 1.* de qua dictum eft fuprà. *Secundo*, Denunciations facienda per Parochum ante matrimonii celebrationem. Et *Tertiò* Benedictionem dandam ab eodem Parocho poft contractum matrimonium. *Tambur. d. lib. 8. tract. 6. cap. 1.*

2. *Quar.* Quanam culpa fit omittere denunciations ante contractionem matrimonii? *Refp.* Effe culpam mortalem, nifi fortè omitteretur tantum tertia denunciatio in cafu nulli periculo fubjecto, vel nifi difpenfatio concedatur à Superiore. *Sanchez de Matrim. lib. 3. difput. 5. num. 7. & Tamburin. dict. tract. 6. cap. 3. §. 1.*

3. *Quar.* Cui competat difpenfare, ne denunciations fiant? *Refp.* Competere Epifcopis, ac aliis Prælati jurisdictionem quali Epifcopalem exercentibus; nec non eorum Vicariis Generalibus. *Tamburin. dict. §. 1. Barbof. de Offic. & Potest. Epifc. alleg. 32. num. 28. & Genuenf. in Praxi Curia Archiepifcop. cap. 26. num. 1.*

4. *Quar.* Quanam fint caufæ, ob quas Ordinarii poffunt difpenfare, ne fiant denunciations ante matrimonium? *Refp.* Eas reduci ad duo genera caufarum. Primum eft, fi probabilis fit fufpicio, ne matrimonium malitiofe impediatur. Concil. Trident. *dict. feff. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* Alterum, fi immincat grave periculum animæ, corporis, vel famæ ipforum contrahentium. *Sanchez lib. 3. difp. 9. de Matrimon.* In fpecie autem à Canoniftis folent notari fequentes caufæ; videlicet, *Primò*, Inæqualitas contrahentium, ubi nobilis ducit ignobilem, dives pauperem, fenex juvenem. *Secundo*, Si concubinarium in articulo mortis velit in uxorem ducere concubinam ad legitimandam Prolem, quo cafu folus Parochus difpenfare poteft, fi tempus non permittat accessum ad Epifcopum, vel Vicarium. *Tertiò*, Si puella fit fub tutore, qui malitiofe differat ejus matrimonium. *Quarto*, Si puella deflorata fuerit à fponfo, quem timor fit, fi differatur, eam amplius non effe ducturum. *Quintò*, Si immincat tempus Adventus, vel Quadragefimæ, dummodo malitiofe ei approximatum non extiterit. *Sextò*, fi matrimonium contrahendum fit inter Magnates, de quorum nullo impedimento fatis manifefte conftat. *Jordan. lib. 3. tit. 7. num. 54.* ubi de Patritiis Venetis loquitur. *Genuenf. in Praxi Curia Archiepifcop. cap. 26. à num. 2. & feqq. Barbofa de Offic. & Potest. Epifcop. alleg. 32. n. 40. & feqq. qui n. 52.* notat, dari appellationem à denegata per Ordinarium difpenfatione denunciationum in cafibus prædictis. At in praxi fervatur, ubi petatur difpenfatio denunciations.

ciationum, ut per testes probetur libertas sponforum.

4. *Quar.* An sufficiens sit causa ad dispensandas denunciations, quando filius vult matrimonium contrahere contra voluntatem Patris sui? *Resp.* Intrare in hoc casu arbitrium Episcopi, seu ejus Vicarii, à quibus considerandum prudenter est, an rationabiliter Pater possit se opponere matrimonio filii; nam si absque ratione Pater resistat, poterit concedi dispensatio; & è contra non erit concedenda, si cum ratione Pater se opponat, puta quia filius nobilis vult ducere meretricem, vel vilem scēminam, irrogando injuriam parentibus; latè Menoch, *consil.* 69. tom. 1. & Genuens, ubi supra dicto cap. 26. num. 2. & 3. Ego in praxi volui semper prius audire Patrem, & supersedere in dispensando.

6. *Quar.* Quid servandum ab Episcopis, vel eorum Vicariis, quando cognoscunt, causam subesse sufficientem ad dispensandas denunciations? *Resp.* Esse extrajudicialiter fumendum examen duorum testium, quod nullum extet impedimentum inter contrahentes. Genuens, ubi supra num. 4. 5. & 6. & Tamburin, *dict.* cap. 3. §. 1. Et ita servatur Patavii, ut dixi supra num. 4.

7. *Quar.* Quot testes necessarii sint ad impediendum matrimonium ob suspicionem, vel delationem impediendi? *Resp.* Unum solum testem sufficere, si sit de visu; licet detegeret turpitudinem suam, & esset socius criminis. Imò etiam si sit testis de auditu, vel solam famam alleget de existentia impediendi; in quibus casibus Ordinarius debet supersedere, & interim veritatem indagare, antequam matrimonium celebretur. Genuens, cap. 26. d. num. 6. ubi notat, quòd si testis adducens impediendi notitiam inflet, ne nomen suum pandatur, debet Ordinarius ipsum secretum tenere, recepto prius juramento ab eodem super veritate, quòd si falsum juraret, poterit ab ipso Ordinario gravius puniri.

8. *Quar.* An detur casus, in quo denunciations jam factæ sint iterum faciendæ? *Resp.* Affirmativè, videlicet, quando matrimonium non fuit contractum intra duos menses à factis denunciationibus, Genuens, d. cap. 26. num. 8. nisi aliud dispositum sit in Synodalibus Constitutionibus, quæ hic Patavii idem, quod dictum est, præfigunt.

9. *Quar.* In qua Parochia sint faciendæ denunciations? *Resp.* In ea Parochia, ubi sponsi habitant; & si ex brevi tempore discessissent ab una, vel diversis aliis Parochiis, in omnibus Parochiis ipsis denunciations faciendæ sunt. Tamburin, d. cap. 3. §. 2. num. 2. Jordan, lib. 3. tit. 7. num. 34. Antonell, de loco legali lib. 1. cap. 7. num. 5. & Genuens, *dict.* cap. 26. num. 8. & 9. Ubi addit, quòd si alter sponforum sit ex aliena Diocesi, non solum debet exhibere fidem denunciationum factarum à suo Parocho; sed etiam attestationem sui Ordinarii super ejus libertate prævio examine testium dignorum fide; in forma probanti, cum subscriptione, & sigillo ipsius Ordinarii: & examen

prædictum debet esse factum vel coram Vicario Generali, vel Persona insigni, ab Episcopo specialiter deputanda, ac juxta interrogationes, & instructionem Almx Urbis, singulis Ordinariis jam transmissam, & pluries à Sacra Congregatione commendatam; quæ videri potest apud Nicolium tom. 1. Lucubrat. Civilium lib. primo tit. 10. sub impedimento Ligaminis num. 53. pag. 58.

10. *Quar.* An possit Ordinarius loci, in quo contrahendum est matrimonium, examinare testes super libertate sponfi, qui sit oriundus alienæ Diocesis. *Resp.* Regulariter dictum examen esse faciendum in loco, & ab Ordinario loci, in quo sponfus alienigena natus est. Porro in praxi vidi in hoc Episcopatu Patavino fieri examina libertatis exteriorum in tribus casibus. Primo, Si sponfus exte venerit in Diocesim (in qua vult contrahere) ante pubertatem. Secundo, Si ultra decennium moratus semper sit in eadem Diocesi. Tercio, Si nimis ei difficile sit libertatem suam probare facere in Diocesi, à qua discessit, puta quia nimis distet, & habeat apud se testes omni exceptione dignos, qui possint deponere de ejus libertate; quod docet Zerola in Praxi Episcop. part. 1. verb. Matrimonium vers. Sexto quid agendum.

11. *Quar.* Quibus diebus sint denunciations faciendæ? *Resp.* Esse faciendas tribus festivis diebus, ut loquitur Concil. Trident. *dict.* sess. 24. de Reform. Matrim. c. 1. Porro licet dies non sit festivus de præcepto, si tamen detur concursus populi ad eam Ecclesiam, vel ob festivitatem Sancti Titularis illius Ecclesiæ, vel ob Prædicationem alicujus insignis Concionatoris, posse denunciations fieri, docet Sanchez de Matrimon. lib. 3. disp. 6. num. 9. Guttier, cap. 56. num. 8. & Barbof. ad dictum locum Concilii num. 23. & de Offic. & Potest. Episcopi alleg. 32. num. 15. & de Parocho cap. 21. num. 26. Sed hoc Patavii non est in usu; quia attenditur dies festiva de Præcepto.

12. *Quar.* An dicti dies festivi possint esse successivi, vel debeant esse interpolati? *Resp.* Pro utraque opinione esse scribentes, sed praxis adhæret illis, qui etiam successivos admittunt; & sic in die Paschatis, & duobus sequentibus diebus possunt denunciations expediri. Pontius de Matrim. cap. 26. §. 4. in princip. Barbof. ad dict. cap. 1. sess. 24. Concil. Tridentin. num. 19. & Tambur. d. lib. 8. tract. 6. c. 3. §. 2. num. 5.

13. *Quar.* An necesse sit, ut denunciations prædictæ fiant intra Missarum solemniam, & ab ipsomet Parocho? *Resp.* Negative, quia sufficit, eas fieri vel tempore concionis, vel alio tempore, etiam extra Ecclesiam, si magnus habeatur ibi Parochianorum concursus, & per quamcunque personam, de commissione Parochi. Tambur. d. §. 2. num. 7. Barbof. ad Concil. *dict.* cap. 1. num. 24. & 25. & de Potestate Episcopi alleg. 32. num. 16. & Antonell, de Loco legali lib. 1. cap. 7. num. 4.

14. *Quar.* Quam obligationem producant hæc denunciations in populo, illas audiente? *Resp.* Ut qui norit impedimentum, teneatur illud revelare sub pœna peccati mortalis. DD.

DD. quos allegat, & sequitur Tamburin. *diſt.* §. 2. num. 8.

15. *Quar.* An teneatur revelare impedimentum ille, qui haberet notitiam ejus sub sigillo? *Reſp.* Affirmativè, excepto quod si eſſet Sigillum Sacramentale, ut ſcripti de Pœnitentia *Deciſ.* 49. num. 2. At ſigillum, ſeu ſecretum naturale, etiam cum juramento, non tollit obligationem revelandi impedimentum, occultè tamen, quia non agitur de puniendis ſponſis, ſed de removendo peccato, Sanchez *d. lib. 3. diſp.* 13. Tambur. *diſt.* §. 2. n. 9. & 10. ubi id locum habere aſſerit, etiamſi denunciator non poſſet probare impedimentum, nam ſaltem dabit anſam Episcopo inquirendi ſuper eodem. Excipit tamen num. 13. quando ſciens occultum impedimentum timeret ex revelatione ſibi magnum damnum, vel ſcandalum ſecuturum, nam in tali caſu ceſſat obligatio revelandi. Navar. in *Sum. cap.* 22. num. 83.

16. *Quar.* An ſponſi interrogati à Superiore de impedimento occulto, teneantur illud manifeſtare? *Reſp.* Affirmativè. Sanchez *d. lib. 3. diſp.* 14. Niſi fortè habuiſſent diſpenſationem, etiam pro ſolo foro conſcientiæ, quia ſi impedimentum eſt omninò occultum, non tenentur illud fateri. Tambur. alios cumulans *diſt.* §. 2. num. 11.

17. *Quar.* Quænam ſit pœna impoſita contra eos, qui conſultò omittunt trinas denunciations? *Reſp.* Eos incurrere pœnas de jure inſiſtentes contra contrahentes clandestinas nuptias in *cap. Cum inhibito. De Clauſeſt. Deſponſ.* Videlicet pœnam ſuſpenſionis per triennium in Parochum (quam alii comminatoriam, alii ipſo jure intelligunt;) pœnam corporalem, ſeu pœnitentiam, arbitrio Episcopi, in eodem ſponſos; illegitimitatem proliſ, ſi matrimonium fuerit cum impedimento dirimente; & quòd difficiliùs in hoc caſu ſuper impedimento concedatur diſpenſatio. Sanch. Coninch. Caſtropol. & alii allegati ab eodem Tambur. *d. §. 2. à num.* 14. *uſque in finem.*

18. *Quar.* Quænam obligatio incumbat contrahentibus circa ſuſceptionem Sacerdotalis Benedictionis? *Reſp.* Hanc eis obligationem incumbere, ut ſi alias matrimonium non contraxerint, benedictionem ſuſcipiant Sacramentalem, antequam matrimonium conſumment. An autem peccatum ſit, illam negligere? ſunt pro utraque opinione Doctores, quos allegat Tambur. *d. lib. 8. de Matrimon. tract.* 6. *cap.* 4. §. 1. Sed negativa opinio, nempe peccatum mortale non eſſe, (quando ceſſet contemptus) videtur communior, nam Concil. Tridentin. hortatur, & non præcipit, circa ejusdem Benedictionis ſuſceptionem, & ſic Episcopum non poſſe ad eam recipiendam urgere conjuges ſub pœna excommunicationis, ſed alia mitiori docet Sanchez *d. lib. 3. de Matrim. diſp.* 12. num. 10.

19. *Quar.* Quando omittenda ſit præſata Sacerdotalis Benedictio? *Reſp.* Quando conjuges contrahunt ſecundas nuptias; & in primis ambo, vel unus eorum benedictionem ſuſceperat; niſi contraria exiſtet conſuetudo, quæ circa hoc ſervanda venit. Tambur. *Doct. Clericali Tom. II, Lib. VII.*

burin. *d. cap.* 4. §. 2. Parochum verò contra conſuetudinem ſe gerentem poſſe pœna arbitraria ab Episcopo puniri, tradit Boſſius de *Matrim. cap.* 9. num. 43.

20. *Quar.* Quam pœnam incurrat Parochus, ſeu Sacerdos benedicens ſponſos alienæ Parochiæ? *Reſp.* Eum incurrere pœnam ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto inſiſtente à Concil. Trident. *d. ſeſſ.* 24. de *Reform. Matrim. cap.* 1. tamdiù duraturam, quamdiù ab Episcopo abſolvatur. Utrum autem incurrat etiam culpam mortalem? Videtur negativè reſpondendum, quia agitur de modico præjudicio alterius Parochi, neque hæc culpa inferitur ex ſuſpenſione, prout ex excommunicatione; quæ notabilis eſt differentia inter has cenſuras, ut docet Tamburin. *ubi ſupra §. 3. num.* 4. & de *Sacrific. Miſſæ lib.* 3. *cap.* 1. §. 8. num. 8.

21. *Quar.* An detur tempus, in quo conjuges contrahentes Matrimonium non ſint benedicendi? *Reſp.* Affirmativè, videlicet Tempus Adventus, Quadrageſimæ, & Interdicti localis generalis. Sanchez de *Matrimon. lib.* 7. *diſp.* 7. & 8. Boſſius *cap.* 9. §. 19. & ſeqq. Tamburin. *d. cap.* 4. §. 4. & notat Rituale Romanum in Rubrica de *Sacram. Matrimonii.*

22. *Quar.* An ſint alia prohibita in diſtis temporibus? *Reſp.* Prohibitam eſſe ſolemnoem ſponſæ traductionem ad domum viri, videlicet cum mulicis concentibus, choreis, & conviviiſ; quæ tamen ſi moderata omninò ſint, nullam culpam cauſant; ſi exceſſus ſit aliquis, faciunt peccare venialiter; ſi verò ſit nimius etiam culpam lethalem inducunt, ut fuſius diſputando docet Sanch. *d. lib.* 7. *diſp.* 7. à num. 15. & ſeqq.

CAPUT CXLV.

De Obligationibus ex Matrimonio inſurgentibus, & iisdem conjugatis imminentibus.

1. *Quer.* Quæ, & quot obligationes inſurgant ex Matrimonio, & incumbant conjugibus? *Reſp.* Inſurgere duo genera obligationum. Unum continens obligationes affirmativas, quæ ſcilicet conſiſtunt in faciendo; & aliud comprehendens obligationes negativas, quæ in non faciendo, ipſos conjuges arctant. Tambur. *d. lib.* 8. de *Matrimon. tractat.* 7.

2. *Quar.* Quæ ſint Obligationes affirmativæ, quæ arctant conjuges faciendo? *Reſp.* Eas eſſe quatuor; Videlicet. 1. Ut ſimul cohabitent. 2. Ut ſibi mutuò alimenta præſtent. 3. Ut filios educant. 4. Ut conjugali affectu ſe invicem corrigant. Tambur. *ubi ſupra §. 1. 2. & ſeqq.*

3. *Quar.* Quæ ſint obligationes negativæ, quibus aſſiciuntur iidem conjuges? *Reſp.* Duas eſſe. Unam, ut à donationibus mutuis inter vivos abſtineant. Alteram, ut à carnalibus culpis in uſu matrimonii caveant. Tambur. *ibid. d. tract.* 7. *cap.* 1. & 2.

4. *Quar.* Quid importet prima Obligatio affirmativa, quæ conſiſtit in cohabitando? *Reſp.* Quòd ipſi conjuges debent individuum

L I

vitam